DE

# HYDROCEPHALO ACUTO.

---

## DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE VIII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXLI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

**ALEXANDER KIERSCH**

SILESIUS.

---

Opponentibus:

C. BENEDICT, med. et chir. Dr.
F. FIEBIG, med. et chir. Dr.
R. JESSEL, med. et chir. Dr.

---

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

AMPLISSIMO, EXPERIENTISSIMO, HUMANISSIMO

BUTZER,

REGI BORUSSORUM IN RE MILITARI A CONSILIIS, AVUNCULO SUO

NEC NON

PARENTIBUS OPTIMIS

AD CINERES USQUE SUMMA PIETATE COLENDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

GRATO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

# PRAEFATIO.

More consueto est tironis medicinam factitandam adituri opusculum de rebus medicis conscriptum in lucem edere. Verum hoc cum multis iisque haud exiguis difficultatibus conjunctum est, quoniam nova dicere medicus juvenis, qui experientia caret, non potest, sententiasque virorum, in medicina practica longam annorum seriem versatorum, de experientiis depromptas impugnare non ausit, nisi qui derideri velit: itaque diu multumque dubitavi, ad quam rem animum meum adplicarem; modo hoc, modo illud consilium cepi, semperque idem mutare cogebar, simul animadverteram, exponendo proposito vires meas satisfacere non posse. Tandem mihi venit in mentem, non esse necesse fructus uberes de opusculo a me composito capiantur, sed jam sufficere, si dissertatiuncula mea non nihil tantum utilitatis adferat. Verum neque hoc me omni experientia destitutum assequunturum putabam, quapropter tale

thema me oportebat eligere, in quo experientiae non plane essem expers. Idcirco hydrocephalum acutum, quem pluries tractari vidi, et egomet ipse in policlinico semel curavi, describendum mihi proposui. Nihilominus autem te, lector benevole, hunc libellum in manibus tuis locans, ut finem consiliumque meum humaniter recorderis, etiam atque etiam rogo.

Opiniones medicorum ante acti et praesentis temporis sunt valde diversae de hydrocephalo, et difficile est intellectu, utri eorum sententiam rectam tulerint, quum ab utraque parte viri stent experientissimi et doctissimi, quibus credi possit.

Alii contendunt, aquas collectas in cerebro inflammatione antecedente exsistere, alii, has esse in causa: quo facto opiniones sibi adversae inter medicos ortae sunt, indeque facile intellectu est, cur Weikard ejusmodi morbum exsistere plane negarit, cujus quidem opinatio, ut par erat, rationibus experientiisque refutata est a medicis nostrae aetatis, qui iidem et de hujus morbi descriptione exactiori ac diligentiori, et de curatione ei strictius accommodata bene meriti sunt. Quum vero multa ab eis discrimina de morbi natura facta sint, ea statui, quae experientia his viris suggessit, horumque sententias conferre, et cum pauxillo, quod vidi equidem, comparare, antea vero auctores, qui de hydrocephalo acuto

scripserunt, enumerare; ne autem limites hujus commentarioli transgrediar, non omnes commemorabo, sed tantum eorum nomina adferam, qui praecipuam morbo operam navaverunt et observationes memoria dignas protulerunt.

Auctoribus pluribus medicis Hippocrates (1) hydrocephalum plane cognosse dicitur, quod Goelis (2) negat; nonnulli autem, ut Whytt (3), Ackermann (4), Wendt (5), eum tantum hydrocephalum chronicum, nec vero illum, saepius citato in libro explicasse dicunt; Celsus (6), Aëtius et Paulus Aegineta (7) solummodo hydrocephalum chronicum cognoverunt, quem satis observatum suis in libris exposuerunt. Vesalius Ettmüllero (8) auctore primum de aquae collectione in cerebro mentionem fecisse dicitur.

Sennertus, Bonetus, Willisius, Petitius, Morgagnius, etsi valde meriti de morbo

---

(1) Hipp. de morbis lib. II. sect. 5. edition. Foesii.

(2) Gölis über die hitzige Gehirnwassersucht. Wien 1820. pag. 107.

(3) Whytt in Tissots Nervenkrankh. T. III. p. 65.

(4) Ackermann opera practica. Uebersetz. pag. 665.

(5) G. Wendt's Beobachtungen und Bemerk. über die hitzige Gehirnwassersucht. Leipz. 1823.

(6) Celsus libr. IV. cap. 2.

(7) Paul. Aeginet. Lib. V. cap. 3. et historiarum med. historia XIII. Venetiis 1621.

rum explicatione ac descriptione, observationes quidem de hydrocephalo acuto suis in operibus reliquerunt, attamen discrimen inter illum et hydrocephalum acutum videntur non satis intellexisse. Nostris temporibus peritissimi medici diligenter et studiose observarunt, et lucem clariorem de hydrocephali acuti natura, causis et de curandi methodo accenderunt, qua re Weikardii opiniones et aliorum medicorum exstinctae sunt.

Primum Joannes Paisley (1) (1733) hydrocephalum acutum tractatu suo accurate exposuit; deinde Robertus Whytt (2) (1768) dissertationem de hydrocephalo interno edidit, in qua pulsuum modificationes in morbi decursu illustravit. Alii vero scriptores sunt: Fothergillius (3), Huck, Thomson, Rush (4) et Ludwig, (5) qui ultimus dissertationem inauguralem exaravit, in qua de omnibus huc pertinentibus rebus ad tem-

---

(1) A. Hydrocephalus with remarkable symptoms by John Paisley medic. essays. Edinb. T. III. pag. 335.

(2) Robert Whytt über die Gehirnwassersucht. In dessen sämmtlichen zur practisch. Arzneiwissenschaft gehörigen Schriften. Leipz. 1771. V. Vol. p. 662.

(3) Medicinal observations and inquiries. Vol. IV. 1772.

(4) Rushs Bemerkungen über die Ursachen und Heilart des innern Wasserkopfes. In der Sammlung auserlesener Abhandlungen für pract. Aerzte. Vol. XVII. p. 487.

(5) Ludwig. Dissert. inauguralis de hydrope cerebri puerorum. Lipsiae 1774.

pus usque suum observatis commemoravit. Porro Odier (1), Quin (2), qui morbi naturam inflammatoriam rite explicavit. Nostri saeculi scriptores sunt Cheyne (3) et I. Coindet (4); inter Germanos excelluerunt Hopfengaertner, qui morbi sedem solo in systemate nervoso posuit, imprimis remedia excitantia ad eum debellandum commendans; deinde Baader, de Portenschlag (5), Loebenstein-Loebel atque alii; Formey (6) vero scriptionem edidit, qua methodum antiphlogisticam ad hydrocephalum acutum curandum ceteris praeferendam esse edocti sumus; Goelis autem monographiam edidit experimentis multis ornatam, per cadaverum sectiones magis comprobatis. Postremo nonnulli scriptores Franco-Gallici, e. c. Jadelot (7), Baumes (8), Bouvier, Ducasse,

---

(1) Odiers medic. chirurgische Abhandlungen von der Wassersucht der Gehirnkammern. In der Sammlung auserlesener Abhandlungen f. pract. Aerzte. Vol. IX. p. 320.

(2) Quins Abhandlungen ueber die Gehirnwassersucht a. d. Engl. übersetzt v. Michaëlis. Leipz. 1792.

(3) I. Cheyne. Versuch über den acuten Wasserkopf. a. d. Engl. übersetzt v. Mueller. Bremen 1809.

(4) Mémoire sur l'hydrencephale, ou cephalite interne hydrencephalique par I. F. Coindet. Paris et Génève 1817.

(5) Von Portenschlag-Ledermayer über den Wasserkopf. Wien. 1812.

(6) L. Formey von der Wassersucht der Gehirnhöhlen.

(7) Journal de médicine, chirurgie et pharmacie. 1806.

(8) Annales de la société de médicine de Montpellier.

Cloquet, observationes suas et animadversiones in ephemeridibus rerum medicinalium, huc et illuc dispersas, proposuerunt. Haec fere sunt, quae de scriptis commemorari imprimis necesse habui; nunc igitur ad morbi definitionem et divisionem generalem exponendam transire liceat.

Hydrocephali nomen, a Graecis vocibus ὕδωρ, i. e. aqua, et κεφαλὴ, i. e. caput, derivatum, haud naturalem humoris serosi, vel sero-lymphatici, vel purulenti in capite collectionem designat, qui impermixtus, aut interdum cum aliis, e. g. puriformi fluido mixtus, diversis in capitis locis, ut in cerebri substantia, in ejusdem ventriculis, aut inter membranas cerebri externas; tum etiam extra cranium inter capitis tegumenta invenitur, unde hydrocephali differentiae. In hydrocephalo externo fluidum extra cranium aut inter cranium et pericranium, aut inter pericranium et galeam aponeuroticam, aut inter galeam aponeuroticam et cutem invenimus; contra in hydrocephalo interno intra cranium aut in substantia cerebri, aut in ejusdem ventriculis, aut inter ejus membranas. Utrumque autem genus etiam, quanquam raro, conjunctum est, et tum hydrocephalus nominatur complicatus.

P. Frank hydrocephalum statuit meningeum, ubi secretio aquae aut alieni humoris non in cere-

---

(1) Epitome de morb. homin. curand. Libr. VI. pag. 162.

bri substantia, sed aliis in capitis interni locis jam memoratis collecta est; et hydr. encephalodem, ubi ea in cerebri substantia ipsa, aut in ejus ventriculis invenitur.

Si totum cerebrum hoc fluido est impletum, hydrocephalum universalem, si tantum una pars, hydrocephalum partialem nominamus. Observationes nos docuerunt, non semper ejus causam capiti insidere, sed aliis etiam partibus dissitis, ex quarum consensu caput afficiatur, indeque alia divisio orta est: in idiopathicum, symptomaticum, consensualem et metastaticum. — Peculiaris capitis architectura, modo ingenita illa, modo acquisita, saepe causa hydrocephali est, nec raro plures infantes unius familiae huic malo succumbunt.

Maxime quidem, sed non semper hydrocephalus aetatis infantilis et puerilis morbus est, nam nonnulli scriptores temporis praeteriti et recentioris enarrant, aetate provectiores quoque in hoc malum incidisse. Ante decimum mensem post partum morbus non facile apparet, decimo mense incipit frequentior fieri, suum quasi maximum inter annum quartum et septimum assequitur, intrante pubertate.

Quod morbi durationem attinet, contendi licet, eum in universum vigesimum quartum diem non excedere. Omnia, quae ad caput congestiones provocant, morbum illum efficere queunt, veluti vehemens involutio lactentium, morborum processus, qui

n cerebri vicinitate sedent et cum congestione conjuncti sunt, dentitio, affectio catarrhalis, specifica cerebri irritatio, praematura ad studium incentio, abusus narcoticorum remediorum, e. g. opii, vehemens calor ad caput, e. c. si infantes apud fornacem jacent, et portantur in solis ardore capite non obtecto.

Facile commutari potest hydrocephalus cum febri catarrhali, dentitione difficili, helminthiasi, et febri intermittente comatosa. Febris catarrhalis differt horripilatione vesperi, sequente calore, oculo injecto, secretione pituitosa e naribus, incitatione ad tussim et expectoratione ac deficientibus reliquis symptomatibus hydr. acuti. — Hydr. acutus a dentitione difficili symptomatibus topicis discrepat, gingiva rubefacta, fervida, cum propriis albis valvulis, salivatione, deficientibus capitis affectionibus; ab helminthiasi habitu scrofuloso, magna inflatione abdominis, quod in hoc morbo introrsum tractum aut collapsum est, deficientibus doloribus et denique vermibus excretis.

## SYMPTOMATOLOGIA.

Tria stadia discernimus: stadium irritationis, transsudationis et paralyticum; interdum prodromorum stadium antecedit, quod saepe tantum per nonnullas horas, saepe per plures dies perdurat, sed

nulla symptomata characterica, i. e. hydrocephalo propria praebet. Infantium habitus animi laetus omnino in difficilem convertitur sine ulla causa manifesta, hilaritas in tristitiam commutatur, morosi, male contenti, perirati immorigerique fiunt, si ante bene morati fuerunt. Infans inter ambulandum in plano facile cadit, passibus magnis means, pedes hoc modo ponere solet, quasi scalam ascendere velit. Mox infans sanguinis congestionem ad caput patitur, loquelam jam callens de capitis gravitate et vertigine, praesertim si lecto insidet, aut in hoc se erigit, aut si ab uno ad alterum latus movetur, queritur. Color faciei saepe mutatur, modo rubor, imprimis si sanguinis congestiones caput petunt, modo pallor inconsuetus conspicitur. Oculus nidorem amittit vel excipit ruborem, quem inde lucis aversatio consequitur; organorum porro laesio digerentium sui signa exhibet, ciborum appetentiam nempe perturbatam et minutam, intestinorum segnitiem, vomituritiones et vomitum, imprimis decubitu horizontali relicto. Urina parca, lactea, alvi obstipatio, excrementa coloris varii et muco commixta. In superficie bracchii externa spectantur papulae albae et siccae, quae cutis colorem non inquinant. Pulsus aliquantum frequens, irregularis, interdum intermittens. Non semper omnes prodromi antecedunt, imo interdum etiam omnes deficiunt, ubi subito stadium inflammatorium obrepit.

## I. Stadium inflammationis s. irritationis s. initii.

Hoc stadium characterem inflammatorium plane ostendit. Manus capiti imposita calorem magnopere auctum sentit, capitisque dolorem ab altero latere in alterum tendentem, omnique corporis motu intensum aeger verbis, si quae facere jam potest, describit; loquela adhuc carens manum ad caput et oculos movet, tanquam si quid ab his abstergere velit; facies rubescit, arteriae carotides et temporales imprimis inter exacerbationem pulsant, calor capitis augetur. Oculi sponte lacrimantes, alte in orbita siti ob adauctam retinae sensibilitatem, palpebris, quae oedematose tumescunt, ad dimidiam partem clauduntur; pupilla fere semper contracta, interdum vero dilatata conspicitur. Inquietudo est maxima, inter somnum deliria et dentium stridor, ex eo autem excitatus, aegrotulus illico ejulatum huic morbo proprium edit. Siccitas et pruritus in naribus, quas aegrotans scalpit veluti is, qui vermibus excruciatur; digestio summopere perturbata est, lingua et alba et sicca, atque ciborum appetentia omnino deficit, bibendi cupiditas tantum inter exacerbationem ad potum sumendum invitare solet; nausea, vomituritio et vomitus, qui ter, quater vel sexies intra viginti et quatuor horas excitantur, imprimis vero per omnes cibos ac potus ventriculo

ingestos, motione et situ erecto corporis augentur. Sputorum materia, quae coloris respectu cum decocto ex spinacia et fuligine parato comparanda est, foetidum habet odorem. Abdomen intumescit, regio epigastrica tensa persistit, et pressa dolet; alvi obstructio ita pertinax est, ut omnia fere modo purgantia, imo fortiter agentia, e. g. drastica, ad eam solvendam non sufficiant. Urinae secretio valde imminuta est, et sedimentum album ostendit. Pulsus est parvus, frequens atque irregularis, nonnunquam intermittens, cujus acceleratio inter exacerbationem talem ad gradum evehitur, ut pulsationes ipsae innumerabiles fiant; nec minus respiratio accelerata et anxia, spiritus odoris gravioris spargens perficitur.

### II. Stadium exsudationis s. fastigii s. torporis Frankii.

Antecedentis spatii symptomata inflammationis characterem prae se ferebant; in hoc vero sensibilitatis exaltationem nimis imminutam, imo fere deletam offerunt. Aegrotulus sine motione in positione dorsali jacet, plerumque in situ obliquo caput retrorsum tractum, quod in lectum torquet; saepe manus ad caput et nasum admovet, et digito os naresque cavat; si hoc statu soporoso excitatur, nullo dato responso in soporem rejicitur. Oculi, qui sunt

semiclausi, contorquentur et in unam directionem defixi persistunt; pupilla maxime dilatata contra lucem insensibilis, et motus oscillatorios adversus luminis impetus producit; visus est fallax, objecta minora ante oculos posita aut non cognoscuntur, aut duplicia conspiciuntur; vultus est torvus atque affixus. Auditus etiam, in primo ille stadio non raro valde auctus, est deletus. Lingua sicca, muco albo sordido et fusco tegumento est obtecta, nihilominus infans postulat cibos, quos insigni cum cupiditate devorare solet. Cutis est sicca, saepe tecta exanthemate Formeyniano, quod parvis aut rubris, aut lividis papillis maxime in facie, aliquando vero etiam in tota cute apparet; obstructio alvi est sine tenso inflatoque abdomine, alvinae vero dejectiones laxantibus promotae sunt fuscae, subnigrae, glutinosae, seu argillaceae, odorem acidum atque putridum exhalantes; urina est modo spastice retenta, aut involuntarie profluit et sedimentum album format; pulsus valde tardus est et vix quadraginta-quinquaginta ictus facit. Nec constat spatium stadii, saepe enim tantum per paucas horas, saepe vero etiam per octo-decem dies durat.

### III. Stadium paralyticum s. lethale.

Humor, qui in hoc stadio omnino cerebrum explet, hoc stadium inducit et secum mortem affert.

Pulsus frequentissimus, celer, filiformis fit semper magis inaequalis et intermittens, extremitates modo frigescunt, modo calescunt, oculi semiaperti et immobiles sunt, pupilla valde dilatata nullam reactionem contra lucem ostendit, in fronte et genis apparent maculae rubrae fugaces, labia sicca et saepe in latus alterum retracta sunt, sitis magna esse videtur, quippe potulenta porrecta raptim absorbentur, ob spasticam vero pharyngis contractionem statim rejiciuntur, lingua sordida, aspera et fissa est. Alvus fluida et nigricans aegro invito decedit; urinae vel missio, aegro nesciente nolenteque, vel retentio spastica. Convulsiones denique prorumpunt ut plurimum unius lateris adhuc calentis, altero jam plane resoluto et calore privato, nec minus illae oculis et faciei parcunt, sub quibus convulsionibus plus minusve durantibus mors intrat.

## PROGNOSIS.

Judicium de vita servanda pendet potissimum ab hisce momentis:

I. a dispositione diversa in diversis infantibus,

II. a vi et indole noxarum externarum,

III. a praesentia aut absentia conditonum morbosarum cerebro vicinarum,

IV. a celeritate decursus.

## SECTIO.

Mors si stadio irritationis aegrotis supervenit, haec obvia fiunt: dissectis cranii ossibus diploë sanguine oppleta, imo livida quandoque apparet, cerebrum ex cavo prosilit quodammodo firmitate insolita praeditum; substautia grisea vasis sanguiferis sanguine refertis rubescit, substantia medullaris colore induta est rosaceo, ita ut in planitie ejus dissecta multa sanguinis puncta conspiciantur. Sin stadio secundo de vita excedunt aegroti, serum reperitur non solum inter membranas cerebri, sed etiam in ventriculis. Systema commissurarum fere emollitum est mutationibus structurae nullis.

## THERAPIA.

Cura ut justis indicationibus respondeat, prophylaxin ante omnia respici oportet. In iis enim gentibus, quibus dispositio quaedam hydrocephali hereditaria, vel quibus cranii forma singularis illa propria est, quae hydrocephalo acuto opportunitatem praebet quam maximam, medici est nulla non tentare, ne morbus ille gravissimus periculique plenissimus inde originem ducat. Quem in finem quamquam Persae infantes ita collocare soliti sunt, ut caput eorum inter somnum aqua irrigaretur, quo morbi evolutionem evitarent, nihil tamen de prohi-

bendo hydrocephalo ab iis nobis traditum est. Neque est igitur, unde majore jure frequentiam morbi, de quo agimus, multo insigniorem nostris temporibus prae prioribus eruamus, quam placito Huflandii, qui eruditionem ingenii, nunc temporis nimis quodammodo fotam, inprimis accusandam esse censebat. Quam sententiam sequitur, diaetam et corporis et animi justo modo quum in genere dirigendam, tum vinculis quibusdam restringendam esse apud eos infantes, qui ceteris ingenio antecellant.

Praeterea caput quam maxime semper servetur frigidiusculum, tum una extremitates calorem accipiant necessarium. Quod consilium ut re vera consequamur, nimium solis fornacumve calorem caveant abstineant a potionibus somniferis, narcoticis potissimum, accurate observetur periodus dentitionis, atque evitetur quam diligentissime affectio quaedam catarrhalis, ne unquam denique cessaverint secretiones sive cutis sive tractus intestinalis.

Quae antea diximus licet summa sint gravitate tamen indicatio morbi, utpote quae copia sola e[…] sufficiendi suppeditata fere sit, majorem in usum practicum vim sibi arrogat. Est autem diversa secundum stadia diversa; primo enim, quod irritationis fere esse arbitrantur, methodus antiphlogistica una cum derivatoria instituatur necesse est, ita quidem, ut quam modo diximus antiphlogistica con[…]

sentanea sit vehementiae morbi, viribus, aetati aegroti. Itaque missio sanguinis fiat plerumque localis, raro universalis eaque apud infantes satis adultos sanguine abundantes, symptomatibus una ferocissimis. Sin hirudines ad cranium applicantur, locus, qui ad propositum maxime quadret, alius traditur ab aliis auctoribus. Petro Frankio enim auctore praestat locis reliquis spatium ad utrumque latus radicis nasi situm, dum alii suadent, ut temporibus hirudines apponantur, qua in re laesionem arteriae temporalis hirudinibus fortasse obnoxiae arcendam esse opinatur. Etiam efficaciorem et magis convenientem eum locum habet, quo emissaria Santorini ad suturam mastoideam prodeant. In prima sanguinis detractione quum tota fere salus posita sit, neque ulla fere restet spes horis viginti quatuor elapsis, postquam deciderunt hirudines, sanguis ut quam diutissime profluat, diligenter curetur. Praeterea medicamina praecipienda sunt ea, quibus impetus sanguinis ad locum affectum quam maxime fieri potest defendatur. Cui rationi congruunt situs corporis aut erectus aut obliquus, fomentationes capitis tonsis capillis Schmuckerianae aut glaciales. Dein neutiquam omittenda medicamina, quibus derivatio fiat sanguinis in tubum intestinalem, renes, cutem, omnes uno ore contestantur; in cute enim sanguis accumulatur et retinetur quodammodo sinapismis ad suras plantasve

pedum appositis; incitatur tubus intestinalis, secretiones ejus augentur, calomelanos tanta dosis propinatur, ut sedes peculiares illae provocentur copiosae. Nam prosunt sedes illae tantummodo, si aerugineae odore sunt singulari, indole caustica vel irritante potius, quum nullam fere utilitatem affert diarrhoea aquosa, mucosa, coloris illius inops, tam dolorosa, ut extremitates inferiores ventris attrahantur. Verum enimvero ne modum diarrhoea excedat, neve vires prosternantur, medicamina mucilaginea, oleosa, in usum vocanda sunt; renes ut ad majorem actionem stimulentur, digitalis porrigatur sive pulverata cum calomelane juncta, sive aqua fervida infusum ex illa paretur. Potus sit aut aquosus, aut decoctione vegetabilium substantias minime nocuas continentium compositus. Etenim quemadmodum irritamenta quaelibet, v. c. sensuum caute prohibenda sunt, ita eadem regula suo certo jure de potu praecipi potest.

Transsudatio quum jam oborta est, cura rarissime faustum eventum procreare valet. Neque eo minus adfirmatum est contra Goelis auctorem, alioqui maxime spectabilem, nullam methodum tam inutilem esse, unde sanatio, reliquiis quanquam insanabilibus, procedere non possit. Imo natura ipsa nonnunquam post transsudationem perfectam insignem sanandi conatum facit, profluvium seri dico ex aure vel naribus effectum, symptomatibus pres-

sionis in cerebrum antea obviae paulatim una evanescentibus, quamvis neutiquam sit inficiandum, eventu ratione illa progenito spem medici haud raro falli (1).

Quum autem necesse sit, medicum in morbis curandis naturam imitari, stadio secundo evacuantia praescribenda sunt, eaque quae secretiones itaque resorptionem exaggerare valent, ratione, qua exsudatum sese formaverit, nunquam neglecta. Consilio illi respondent inunctiones ope ungt. cinerei institutae, cum ungt. Digitalis vel ungt. Kal. hydroiodici (vel oleo Juniperi, oleo Terebinthinae, siquidem omnia irritationis symptomata disparuerunt). Renum, cutis externae secretiones stimulentur usu digitalis cum chloro vel aceto, infrictionibus medicamentorum, quae Terebinthinam vel Scillitin complectuntnr, in renum regionibus. Derivatio per tractum intestinalem efficienda aptissime paratur clysteribus ex infuso Rd. Rhei, vel Electuario lenitivo aut solo, aut salis cathartici copia idonea adjecta; praeter ea, quae jam enumeravi medicamina, haud raro resorptioni incitandae commendatur infusum Arnicae, quanquam equidem libere confiteor, Arni-

---

(1) Quanta sit in vitam aut servandam aut exstinguendam auctoritate celeritas, qua pressio in cerebrum exoriatur, hydrocephalo chronico potissimum colligi licet, quippe infantes illo laborantes pondus incredibile fere in cerebro sustinere valent, valetudine haud admodum laesa quandoque.

cam proposito illi parum consentaneam mihi videri. Primum enim Arnica in classem remediorum illorum refertur, quorum ope actio cordis incitatur; dein tantum abest, ut secretiones adaugeat, ut radix Arnicae potissimum obstructionem alvi producere queat. Cutis secretio ut reservetur, balnea tepida administrentur, in quibus caput infantis aqua glaciali obtegatur, neque negligantur vesicatoria ad cutem applicata.

Quando propositum remediis, quae supra citavimus, non assequimur, contra rem male cessuram esse e symptomatibus colligi licet, Schoenlein suadet, ut sepositis remediis fortioribus iisque, quae, ex ejusdem sententia nihil valent, nisi dolores molestiasque infantis reddere vehementiores, his potissimum utamur, quibus convulsiones adspectui parentum ingratissimae removeri possint, quorum numero adscribit Moschum, siquidem glutire adhuc possunt infantes, sin minus, infusum Valerianae cum castoreo per anum injectum.

Restat, ut superfusionum frigidarum mentio fiat; nos igitur eam tenemus sententiam, ut censeamus, superfusiones frigidas, postquam remedia supra laudata irritantia sese praestiterint, ita administrandas esse, ut capiti infantis ad superiorem colli partem in balneo tepido versantis aqua frigida ex vase apto infundatur, donec signa quaedam reactionis in conspectum veniant. Qua re perfecta infans in cu-

bili reponatur, velamentis calefactis involvendus. Jam vero infans quum sudore afficitur, eoque continue aquoso super totum corpus disperso, tum inter stragula remaneat et diligenter observetur. Namque quo tempore signa reactionis evanescere coeperunt, sudor igitur remittitur, sopore infans denuo corripitur, eo confestim, quae supra a nobis laudatae sunt superfusiones, repetendae et quamdiu supra ordinatum est, continuandae sunt. Quinam ex superfusionibus exspectari possit eventus, equidem tiro artis medicae nondum expertus sum; attamen quum a praeceptoribus aliisque viris summopere de re medica meritis illae fausto cum successu in usum vocatae tradantur, facere non potui, quin eas commemorarem. Indicationi symptomaticae ut satis fiat, catheterem in vesicam induci urinamque hac ratione propelli aeque oportet, ac decubitum quam aptissime evitari.

# VITA.

Ego Guilelmus Aemilius Theodorus Alexander Kiersch, confessioni evangelicae addictus, Lignitii, Idibus Septembribus a. huj. saeculi decimo quarto, patre natus sum Friderico, matre Elisabetha e gente Marschner, quos parentes optimos, dilectissimos hucusque vivos animo intimo laetor. Primis literarum elementis imbutus, Academiam equestrem Lignitiensem, quae t. t. sub auspiciis Viri doctissimi Becher florebat, adii. Anno h. s. XXXVII. testimonio maturitatis ornatus in almam literarum universitatem Vratislaviensem me contuli et ab Ill. Dr. Bernstein, penes quem illo tempore fasces aca-

demici erant, civibus universitatis adscriptus, apud Ill. Dr. Betschler, t. t. decanum ordinis medici maxime spectabilem, nomen professus sum. Ab illo tempore interfui hisce lectionibus:

Ill. Benedict me docuit chirurgiam generalem et specialem, ophthalmiatricen, fascias et instrumenta chirurgica rite applicanda, nec non operationes in cadaveribus instituendas, qui idem vir praeclarus in clinico chirurgico dux et praeceptor benevolentissimus mihi fuit per annum unum; Ill. Braniss psychologiam, Ill. Fischer chemiam generalem et pharmaceuticam, Ill. Glocker mineralogiam generalem et specialem, Ill. Goeppert botanicen generalem, floram Silesiacam, plantas officinales, Ill. Gravenhorst zoologiam. Ill. Henschel de encyclopaedia medica, de pathologia generali et de semiotice, Ill. Nees ab Esenbeck de botanice speciali disserentem audivi; Ill. Otto anatomen corporis humani, anatomen comparatam et pathologicam, historiam foetus,

methodum sectiones forenses rite instituendi eximie mihi demonstravit, simulque per duo semestria in theatro anatomico moderator et dux mihi exstitit gravissimus; Ill. Pohl physices hodiernae systema mihi exposuit, Ill. Purkinje physiologiam corporis humani experimentis illustratam ingeniose et toxicologiam mihi explicuit, Ill. Remer de therapia generali et speciali disserentem audivi. Idem vir summe venerandus in exercitationibus clinicis medicis moderator praeclarus exstitit. Ill. Rohowsky de amicitia Ciceronis, Ill. Thilo logicen, Ill. Wendt materiam medicam mihi disseruit.

Anno XXXIX. universitatem literariam Berolinensem Fridericam Guilelmam adii, ubi ab Ill. Twesten, t. t. rectore magnifico, inter cives academicos receptus, sub auspiciis Ill. Dr. Hecker, ordinis medici t. t. decani maxime spectabilis, huic facultati nomen dedi. Ibidem hasce Illustrissimorum virorum scholas frequentavi: Cel. Kluge de arte obstetricia,

Ill. Osann de Germaniae fontibus soteriis. Exercitationibus clinicis interfui medicis Cel. Wolff, chirurgicis Ill. Rust, Ill. Dieffenbach, obstetriciis Cel. Kluge, policlinicis medico - chirurgicis Cel. Trüstedt et Ill. Osann.

# THESES.

1. Superfusiones aquae frigidae cum maximo eventu in hydrocephalo acuto commendandae sunt.
2. Aquae minerales artificiales et naturales valde discrepant.
3. In explorandis morbis cordis organicis stethoscopium praebet auxilium anceps.
4. In nonnullis febris nervosae speciebus chininum sulphuricum maxime juvat.